

largiuntur ultro ; ablata vix repetunt : nec fures aliter, quam risu & sannis ulciscuntur. Si quem oborta similitate nefarie aliquid moliri suspicantur, non minis deterrent hominem, sed donis. Ex eodem concordiae studio fit ut assentiantur ultro, quidquid doceas ; nihilo tamen secius tenent mordicus insitam opinionem aut superstitionem : eoque difficilius erudiuntur. Quid enim agas cum annuentibus verbo & concedentibus omnia ; re nihil praestantibus ? Miserorum egestatem benignè sublevant ; viduarum ac senum sustentant orbitatem, nisi cum senio ætas victa marcat, vel morbus gravior incidit : tunc enim abrumpere infeliciem vitam satius arbitrantur, quam alere ac producere. Quæcumque calamitas ingruat, nunquam se dimoveri